BEDA VENERABILIS
Salzburg, St. Peter, 1. Viertel 9. Jh.
Seite 227
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

&cum nos ad caelum reducimur sollemnitatem laetitiae illius implemus.

Dico uobis quod ita gaudium erit in caelo super uno peccatore paenitentiam habente · quam super nonaginta nouem iustis qui non indigent paenitentiam.

Plus de conuersis peccatoribus quam statibus iustis gaudium erit in caelo. Quia plerumque hi qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt stant quidem in uia iustitiae nulla illicita perpetrant. Sed tamen ad caelestem patriam anxie non anhelant. Tantoque sibi in rebus licitis usum praebent: quanto se perpetrasse illicita nulla meminerunt. & plerumque pigri remanent ad exercendo bona praecipua. quia ualde securi sunt quod nulla commiserunt mala gravia uiolentia. At contra nonnumquam hi qui se aliqua illicita egisse meminerunt ex ipso suo dolore compuncti in ardescunt ad amorem dei sese que in magnis iustitiis exercent. Maius ergo de peccatore conuerso. quam de stante iusto gaudium fit in caelo. quia & dux in proelio plus eum miles diligit. Qui post fugam reuersus hostem fortiter premit. quam illum qui nunquam terga praebuit & nunquam aliquit fortiter fecit. Sed inter haec sciendum est. quod sunt plerique iusti in quorum uita tantum est gaudium ut eis quaelibet peccatorum paenitentia praeponi nullatenus possit. Nam multi & nullorum similorum sunt conscii. & tamen in tanti ardoris afflictione se exerunt. Ac si peccatis omnibus angustentur cuncta etiam licita respuunt. addis pectoribus mundi sublimiter accinguntur lamentis gaudent in cunctis semet ipsos humiliant. & sicut nonnulli peccata operum sic ipsi peccata cogitationum deplorant. Hinc ergo colligendum est. quantum do gaudium faciat. A quanto humiliter plangit iustus si fecit in caelo gaudium quando hoc quod male gessit per paenitentiam damnat iniustus.

Aut quae mulier habens drachmas decem · si perdiderit drachmam unam nonne accendit lucernam & euertit domum & quaerit diligenter donec inueniat.

Lc. xxxviii
x.
sol.

Qui signatur per pastorem ipse & per mulierem; Ipse enim dei ipse & dei sapientia & quia imago exprimitur in nummo. Mulier drachmam perdidit. quando homo qui conditus ad imaginem dei fuerat peccando a similitudine sui conditoris recessit. Sed accendit mulier lucernam quia sapientia dei apparuit in humanitate. Lucerna quippe lumen in testa est. Lumen uero in testa est diuinitas in carne. Accensa autem lucerna euertit domum quia mox ut eius diuinitas per carnem claruit omnis sentire conscientia concussit. Domus namque euertitur cum considerationes rectus sui humana conscientia perturbatur. Euersa uero domu inuenitur drachma quia dum perturbatur conscientia hominis reparatur in homine similitudo conditoris.